



Mbb. ii.

(9)

VITÆ  
IOANNIS DANIELIS  
HERRNSCHMIDII  
THEOLOGI HALENSIS  
ILLUSTRAMENTA

---

COLLEGIT AC EDIDIT  
IO. HENR. CALLENBERG  
PHIL. PROF. PUBL.

---

Halz in typographia instituti iudaici  
cii cii cc xxxv.

\*\*\*  
V  
tibu  
&  
ang  
pfm  
ML  
edit  
stor  
ada  
doc  
præ  
Pter  
ama  
erat  
styl  
unu  
cus  
tus  
Hoc  
nali  
tis

THEATRUM  
ANNIS DANIELIS  
HERNSCHMIDII  
THEOLOGI HALENSIS  
LITERISTARIA MENTA  

---

  
COLLEGIUM CORDICUM  
IO. HENRI. GALLINDERE  
PTE. T. A. F. L.

1710  
XXXI



## §. I.

Vitam theologi, jo. danielis Herrnschmidii, illustraturus, a die natali & parentibus eius ordinar. Hi sunt georgius adamus & catharina maria Strasheimeria. Ille euangelii minister fuit, in urbe imperali, Bopfinga, sita in Suevia; ubi noster anno MDCLXXV die aprilis undecimo in lucem editus est. Bopfingensis huius ecclesiae docto etiam auus eius fuit, nomine jacobus adamus: proauus, jacobus, nærdlingenses docuit, sacrorum antistites, filius eberhardi, præfusilis apud cætingenses. Hic exulis propter euangelicæ veritatis studium & valde amati a Lutheru Pamingeri, filiam nactus erat uxorem. Iacobus libellos quosdam stylo & sensu sui sæculi exarauit. Extatus unus, hunc habens titulum: *peripateticus orgiorum ethnicopontificius, iuste castigatus, iustius profigatus, iustissime condemnatus.* Hoc est, breuis dissertationula de bacchanaliorum nomine, origine, progressu, placentis, laruis, excusationibus, exemplis, pœnis

A

nis

Herrnschmidii illustraturus, ex documentis certis, mecum communicatis.

Vita Herrnschmidii.

2  
nis, ludis, choreis, symposiis, ludibriis. De se scribit in hoc libello: minimus equidem sum in ordine sacro; officium tamen facere pro viriculis non detrecto, admirari sacra pergo, non rimari. Rationem captiuo, vitam, quantum humana patitur infirmitas, corrigo; gentilium mores moros, ritus & instituta, tam voce, quam calamo, frequenter insecto. Ceterum, si Scaliger adhuc viueret, quid, obsecro dicaret de poetarum nostri temporis deastris? Habes ibi charites, veneres, cupidines, iunones, ioues, & quos non? Tales olim iuuenilis calor in metro quodam geniali mihi extorsit: quos nunc non excusos animitus volo; & doleo nunc temporis, tot libros poeticos eiusmodi dæmoniis penetrabiles esse. - Salta-tionibus certe ludicris, in honestis, leibus non delector; quin in ipsis etiam festiuitatibus gamicis, ubi gaudendum cum gaudientibus, volens his abstingo. Saltus in futuram & instantaneam mortem in me iuste coeret omnem saltandam libidinem. Multorum ecclesiæ ministrorum vitam

---

Symposium, ludibriis. fideliter collecta, methodice disposita, typis publicis emissa a jacobo Herrnschmid, cettingensi ecclesiaste Zimmermano. Tertull. I. de spectac. p. m. 633. Totum seculum sa-thanas & angeli eius repleuerunt. Noribergæ impressum, sumptibus Simonis Halbmayeri, bibliopolæ. 1626.

vitam coarguit his verbis: *multi sane non boni  
antistites immorigeris hisce non leuiter patro-  
cinantur, quia vitam doctrinæ non confor-  
mant.* De reliqua multitudine verbis profi-  
tentium Christi cultum hæc narrat; eo nunc  
temporis, proh dolor! res redit, ut plures  
verbi ministros audiant, pauciores auditæ fa-  
ciant, aut non facienda fugiant. -- Gentilium  
feces & voces in christianismo vides, & incla-  
mas hisce: *procul, o procul ite; Adria surdio-  
res inuenis, qui obtemperare debebant.* -  
*Invinii hodie pauci, vinosi plures;* in aulis  
præsertim, ubi multi bibendo existimationem  
scrutare se posse putant; in academiis præser-  
tim, ubi saepè plures egregii potatores, quam  
insignes oratores. Siehe, also ist an allen or-  
ten das Sauffen eine gewohnheit worden. Ex  
computationibus hisce fraternitates sunt in  
scholis publicis. -- Multi sunt, qui, nisi col-  
legia computationum quotidie frequentent, &  
inter vinitormenta, nouas fraternitates, ami-  
citasque veteribus iungant; -- nisi in eadem  
urbe facti antipodes sordidissimo funere in vi-  
cinos lectulos inferantur: parum hilariter bi-  
bisse se putant. -- Memini, me audiuisse, lar-  
uatum quendam, ipsis cineralibus, in loco aca-  
demico templum introisse, & e diametro theo-  
logi celeberrimi concionantis faciem identi-  
dem respexisse: theologi nomen taceo; quia,  
olim meus & Ienæ & Wittebergæ præceptor,  
nunc cum domino viuit. *Quid ad hæc theo-*

logus? Heroico plane zelo, quo singulariter ecclesiastes ille vere augustanus flagrabat, personatum publice inclamat, & pro rostris ait: pereas, satana genitum, cum larua hac tua! Quis malus iussit te sacrum ita profanare, & ex ecclesia Dei cloacam dæmonis facere? Sancte Deus, propter belialem illum unicum, nos, qui sacro nunc adstamus, queso, ne punias; sed aliam mentem personato conferas. Hic, fulmine hoc ecclesiastico tactus, templo abiit, & paulo post reuersus ad suos, spiritum pro rumore exhalauit.

## §. II.

In domo patris Herrnschmidius noster honeste educabatur, adhibitis ad eius primam institutionem patriæ scholæ magistris. Anno MDCXC. Nordlingam in studia missus, artes, ætati suæ conuenientes, & in primis, linguas, tractauit diligentissime, usque ad annum MDCXCIII. Postea Altorfium petiit, sed in itinere Heilbronnæ tantisper detentus est a gymnasi professore, theologiam & græcam linguam docente, jo. frid. Krebsio, qui operam ei excolendæ græcæ ac hebraicæ litteraturæ offerebat. Mansit itaque apud illum Herrnschmidius, concedente id ipsi patre; sine cuius arbitrio nihil unquam facere solitus est. Quid in hoc secessu egerit, ipse narrat: "muneris ipsius ratio, & in studiis grauioribus occupationes haud facile permittunt, "ut

ut multum temporis (Krebsius) impendat  
informationi meæ. - - Sic solus ut pluri-  
mum in meis versor studiis. Et sine arro-  
gantiae specie si dici potest, quicquid hic  
hausi doctrinarum, mihi & priuatæ meæ  
industriæ debeo. - - Hoc erſi ita sit, ut  
dictum est, nihil tamen amitto ex ea, quam  
ecclesiastæ debeo, reuerentia: quin immo-  
fateor, magnum ipsius nomen, & data  
nonnunquam confilia, & incitamento &  
usui mihi fuisse." Omnis pene opera eius  
consumebatur in percipiendis linguis, chal-  
daica, syriaca, rabbinica, græca, gallica &  
italica. In philosophia tamen & matheſi posuit  
temporis particulam, usus Weifi ductu in  
metaphysica, Bechmanni in rerum naturali-  
um scientia, in matheſi Euclidis, & hunc  
inielligibilem reddentis Claii. Noscendi  
quoque libros studiosissimus nullam neglexit  
opportunitatem videndi & perluſtrandi do-  
ctorum monumenta. Ne effet incertus de  
toto studiorum curriculo, Rechenbergii li-  
bellum de studiis academicis consuluit. De  
opusculo hoc adolescens scribebat patri:  
quaæ mea fuerat de Rechenbergii libello sen-  
tentia, eandem & tuam esse, inde libens co-  
gnoui, mihi gratulor, qui hunc ipsum  
aducem animo mihi iam præstitueram, quem  
tu iubes eligere. - - Apparet sane ex singu-  
lis paginis, autorem istum non alium fibi  
proposuisse finem, cum scriberet, quam iu-

„uentutis utilitatem. Itaque in mediocrita-  
„te ut plurimum versatur in annotandis scripto-  
„ribus: -- (dum) quos alii, qui eiusmodi sibi sum-  
„ferunt labores dirigendi iuuenilia studia, sa-  
„penumero colligunt pretiosissimos quosque,  
„eosque plurimos, ita ut istius modi scripta  
„praeceptorum magnitudine, scriptorumque  
„multitudine, insipientium animos absterre-  
„reant magis, quam incitent ad exequenda  
„consilia. Hic autem ita suadet, ut ne qui-  
„dem videatur posse suaderi melius homini  
„conditionis mediae. Et hi tamen fere sunt,  
„qui studiis incumbunt fideliter; cum diui-  
„ties frangantur ipsis diuitiis, pauperes ubi-  
„que reprimantur paupertate.“ Huc refe-  
rendum etiam est, quod eruditus hominis in-  
dolem, studia, officia sibi cupuerit accurate  
& breuiter delineari: „votum, ait, de idea  
„hominis eruditus, qualem ego mecum con-  
„cepisti, nuper autem haud satis expressi, eti-  
„am repeto. Quamuis enim non potui am-  
„bigere, num in id doctus quisquam scriptor  
„conuerterit curas suas, id tamen dubi-  
„to, num ex mea mente id factum sit, qui  
„talem ideam cupii, quæ uno sub intuitu ta-  
„bula quadam comprehensa officia hominis  
„eruditus proponit, neque multis ambagibus  
„legentis animum distrahit; id quod fere fieri  
„animaduerti.“ Ex dictis etiam apparet, ut  
animus eius sese habuerit; magna certe mo-  
destia intentus erat ad patris nutum. Scri-  
psit

psit ei in quadam epistola: "id quod bene  
,,mores, dum meam in mentem introspicere  
,,te velle litteris tuis ostendis, exquisita mea  
,,in hac re, quam dixisti, sententia. Sancte  
,,prefecto affirmare possum, nunquam me  
,,vel cogitationibus meis longius proiectum,  
,,quam quo tuas me ducere arbitratus sum.  
,,Neque ullam hoc ipso me promeritum gra-  
,,tiam fateor: quicquid egi, id omne pro  
,,filii obedientis officio, multa etiam præter  
,,voluntatem iuuentutis vitio sinistre acta esse,  
,,scio. Inque eo acquiescit animus meus,  
,,si mihi constat, id, quod suscipiam, a  
,,mente tua non alienum fore. - - Non du-  
,,bitaui, quamuis res longe a prioribus cogi-  
,,tationibus meis absfuit, quicquid id erat,  
,,tuo committere iudicio, expectaturus ex ob-  
,,sequio meo amorem tuum, cognatorum  
,,nostrorum benevolentiam, & Dei cumpri-  
,,mis gratiam. - - De toto hoc negotio ad  
,,tuas ego me curas conferam, ne, si aliquan-  
,,do sinistre quid mihi acciderit, id virium  
,,confidentia mihi meritus videar." Talem  
se præbuit parenti. Nec ulla in ipso honesti  
viri animaduertebant vitia: quin peccare in  
Deum naturaliter metuit. Quare ipse non  
solum honeste viuebat, sed ab improbitate  
quoque auocabat cognatum adolescentem.  
"De eius, inquit, salute, non animæ tan-  
,,tum, sed & corporis, intentis curis, quoti-  
,,die cogito. Spesque me habet certissima,

„fore, ut fructus studii mei in ipsum die-  
rum interuentu clarius & manifestius se om-  
nium fistat animis & oculis.

## §. III.

Sub magisterio Krebsii hucusque multa in-  
genii bonitate & diligentia asseditus, eoque  
maxime habilis factus erat ad maius curricu-  
lum recte ingrediendum. Ipse vero hoc non  
properat, sed patris expectat iussa. Ita-  
que pater, cum sibi tempus esse videret, fi-  
lium interrogat, an in academiam se conferre  
cupiat, quoque velit proficisci. Tum hic sibi  
longiorem in secessu suo moram impedimen-  
tum progressoris fore ostendit, & alias com-  
memorat rationes scholæ cum academia com-  
mutandæ. Dicit inter alia: „mirum igitur  
„non est, si ex hac solitaria vita in aliam  
„tandem transferri cupiam; ubi & aliorum  
„studia imitari, & ex doctorum virorum ore  
„excipere possim ea, quæ maiori labore,  
„mihi met relictus, ex libris colligere ne-  
„cesse habeo. Non obscure quoque signi-  
ficat, sibi studiorum sedem, quæ Halæ est,  
maxime arridere: „de eligendo loco æque  
„ego incertus sum, ac tu te esse dicis.  
„Halæ cum iam Baierus sit, vir incliti no-  
„minis, atque -- ecclesiastæ, ad quem supe-  
„rioribus annis Lena bis diuerso tempore ve-  
„nerat, adprime amicus, cogitationem de  
„illa non omittendam esse, videri potest.  
„Kre-

”Krebsius, cui cum multis professoribus aca-  
demiarum magna intercedit familiaritas, ro-  
gatus literis tuis, sententiam forsan haud in-  
”utilem dicturus est.” Verum cuncta arbit-  
trio relinquit parentis: cuius voluntate dein-  
de anno MDCXCVI. Altorium profectus  
est, cum coniuncto sibi propinqua cognatione  
adolescente, & huius liberalitate ac ex-  
iguo quodam patrie ciuitatis stipendio adiu-  
tus, nouum inchoauit studiorum cursum, &  
biennio amplius prosequutus est. Mirabili  
flagrans discendi cupiditate, primum phi-  
losophiae dat operam, auditque jo. christo-  
phorum Sturmium, professorem philosophiae  
naturalis & mathematum, atque georgium  
Paulum Rœtenbeccium, logices & politices  
professorem. Huius ductu logicam discit,  
sub illius vero disciplina physicam percipit,  
mathesim, & alia. Nulli autem tam addi-  
ctus erat, quam Sturmio: ”Sturmii collegium  
”inquit, quod habuit per quinque menses,  
”physicum paucos ante dies est finitum. Sol-  
ui ipsi - - grato animo, multum enim exin-  
”de me profecisse intelligo. Modus docendi,  
”quo utitur, perspicuus est ac planus, per-  
”ceptuque ac conceptu non ita difficilis. In  
”conciliandis diuersorum sententiis versatur  
”felicissime, propriasque sententias illustrat  
”exemplis & rationibus grauissimis. In do-  
”cendo, qui ei par esset, vidi neminem, eos-  
”que probo, qui vel ipsius solius audiendi gra-

,,tia hic morantur. Certum igitur est, im-  
,,petrata venia tua, assiduum esse eius discipu-  
,,lum, nec ulli deesse occasioni, quæ offerri  
,,poterit ex ipso discendi. Proximo tempore  
,,incepturus est collegium geographicum,  
,,cui etiam me iamdudum destinaui audito-  
,,rem. Data ei tum est occasio prima medi-  
,cinæ & iurisprudentiæ ingrediendi spatia.  
Iuribus discendis deditus contubernalis ut  
diligentior esset, noster cum eo expositas re-  
petiuit legum rationes. Medicinæ professor,  
Hoffmannus, cuius filiam in lingua institue-  
bat gallica, copiam fecit suas gratis audiendi  
prælectiones. Itaque audeo hac etiam op-  
portunitate usus fundamenta medicæ ar-  
tis iecit. Caussam & utilitatem huius stu-  
dii aperit parenti: „quod anatomia collegio  
„interesse cœperim, nuper scripsi. Magna  
„cum voluptate mirari disco structuram cor-  
„poris nostri, stupendumque artificium, &  
„cœpisse adeo me non pœnitet, ut potius  
„summo cum studio decreuerim pergere.  
„Quare iterum te rogatum velim, ut knob-  
„lauchianum mihi mittas librum; adiungas  
„etiam precor Fernelii uniuersam medicinam—  
„ex quo libro superficiariam saltem, quod  
„aunt, curandorum morborum notitiam hau-  
„rire cupio. Puto enim, magnopere esse ne-  
„cessarium & utile, ut, dum ista, quæ ex-  
„tra nos & magnam partem parum frugife-  
„ra sunt, addiscimus, proprii corporis non  
„ob-

"obliuiscamur, sed potius, dum licet, eius  
"naturam & varios casus, quibus subiectum  
"est, pernoscamus ac peruestigemus." Theolo-  
giae vero diligentiam adhibuit potissimum.  
Patri scribebat: studii iuxta philosophicum  
theologici primariam sibi curam sedere animo.  
Itaque theologorum recitationes assidue au-  
diuit: D. Sontagii, nostræ ecclesiæ doctri-  
nas tradentis; Wegleiteri, qui Burneti librum  
de religione explicabat; D. Langii, illustran-  
tis theologiæ historiam: & Wagenseilii, philo-  
logi, a quo modus ostendebatur, iudeos  
docendi & erudiendi de Christo, ex fœderis  
antiqui monumentis. Inter hæc etiam ser-  
mones coram populo habere cœpit. Discel-  
furus ex hac academia anno MDCXCIIX.  
magistri titulum consequebatur, habita sub  
Rœtenbeccio disputatione *de iniusta praxe-*  
*os infra theoriam depressione.*

## §. IV.

Hactenus de diligentia eius, & ratione  
studiorum. Hæc iuuenes, quanquam se sa-  
cras litteras discere profiteantur, maxima ex  
parte ira tractant, ut sterilis tantum ab ipsis  
comparetur notitia, animus vero illorum ex-  
pers maneat diuinæ veritatis & sanctitatis,  
quæ cum illius vera professione & usu con-  
iuncta est. Talibus sordent idonea executi-  
enda securitati scripta, nec placet ipsum Dei  
verbum, nisi in quantum argumenta suppe-  
ditat

ditat ad doctrinæ publicæ probationem, & materiam quæstus caussa docendi populum. Herrnschmidio mature in manus venit Kem-pisi de Christo imitando libellus: quem ille sedulo legit, delectatus sermone simplici ac claro. Inde, cum postea etiam Tauleri legis-set libros, bene de mystica theologia, eiusque cultoribus opinari cœpit. „Mystici practici, „inquit, versantur in explicatione & illustra-tione articulorum fidei de peccato originis, „libero arbitrio, de gratia atque regeneratione, „& sanctificatione. Practicos vero eos dico, qui non ad sublimes speculationes ad-scendunt, sed in principiis communibus theologiae persistunt.” Mysticos scriptores etiam a Rœtenbeccio magni æstimari vide-bat; quod illius confirmauit opinionem. D. Langium, audiuit quidem, secus, ac memo-ratum professorem, & contemtim de mysti-cis loqui; verum illius dicta Herrnschmidii animum a vera theologia mystica non pote-rant alienare. Ipse quoque Langius non ita multo post libros mysticorum odiſſe desit, solos fere, post sacrum codicem, lectitans illos. (\*) Degentium illo tempore in aca-demia

(\*) Germanice de hac re scripsit patri:  
*Als ich derthalben in Altorff studiret, ist  
 der erste mysticus, den ich gelesen, Tho-mas Kempis gewesen, der mir wegen sei-ner*

demia iuuenum, qui habebantur cæteris me-  
liores, sensus hic erat, ut dissimulare animi  
impotentiam, asperitatem sermonis fugere,  
mo-

ner einfalt und deutlichkeit wobl angestan-  
den. -- Woraus ich dann eine gute mey-  
nung von der theologia mystica und  
deren cultoribus geschaepft; weilen ich  
die grundlehren derselben mit den regu-  
lis practicis Christi & Pauli wobl habe  
raeumen kannen. Herr prof. Rætenbeck  
hat auch gegen die mysticos insgemein so  
viel respect bezeigt, dass ich desto weni-  
ger von ihnen ubel zu sentiren mich un-  
terstanden. Da ich diesen vorschmack  
gehabt, bin ich in herrn D. Langen dama-  
liges collegium hift. theolog. gegangen; in  
welchem er sich aperte contra mysticos  
declariret, und gar oft sie, als ridicu-  
los, tractiret; muss aber bekennen, dass  
ich dadurch in dem hauptconcept von  
der rechten theologia mystica nicht bin  
irre gemacht worden. -- Wann dieses  
collegium im ms. noch beyhanden wäre,  
möchte ich wol um dessen communica-  
tion auf eine zeitlang bitten. Dann es  
ist ein zeugnis, wie ein mann in weni-  
ger zeit sich so sehr andern könne; sin-  
temalen, da ich von Halle aus durch  
Altdorff gereiset, -- ich D. Langen to-  
tum mysticum angetroffen.

mores præ se ferre moderatos, opus virtutis  
 & prudentiæ fere sumnum & unicum esse  
 arbitrarentur. Sribit Herrnschmidius: „hac  
 „certe in academia Dn. D. - - nomen in  
 „contemtum abiit, eam maxime ob causam,  
 „quod non potuit obsecundare hominum  
 „opinionibus, sed animi diserte pronunciare  
 „solitus est sententiam. Occupauit autem men-  
 „tes studiosorum admiratio istorum, qui le-  
 „nem præ se ferunt modestiam, pacis religio-  
 „bant, qui veterem nostratium zelum imi-  
 „tantur. -- Domini d. - - disputatio redolet ipsi-  
 „us genium, qui a laboribus valde est alie-  
 „nus. Prudentia magis, quam multa defa-  
 „tigatione, assecutus videtur eam, quam ob-  
 „tinuit, famam. De disputatione illa alio  
 loco hæc habet: „in hoc argumento ita est  
 „cautus & prouidus, ut appareat, hominum  
 „opinionem, quæ calliditatis ei haecen no-  
 „tam addidit, non esse falsam. Ipsò titulo  
 „prioribusque pagellis præ se fert studium - -  
 „defendendi, tum ab exemplis, tum ex sen-  
 „tentiis veterum recentiorumque; ita tamen  
 „abusus, quicunque poterant cogitari, remo-  
 „uet, obque unicum eorum rem omnem  
 „cessare iubet, - - ut etiam illis, qui huc  
 „usque nouæ isti rei acriter restiterant, præ-  
 „ripuerit occasionem irascendi. Sic sane  
 „utriusque partis gratiam inire velle videtur.  
 Non esset sane, cur miraremur, si beatus

vir

vir in illa ætate eam induisset mentem,  
quam in tot commilitonibus videbat probari,  
atque pro vera sanctitate fictitiae virtutis par-  
ticulam, nempe moderationis simulationem,  
ac calliditatem pro prudentia, esset sectatus.  
Quod ad inhonestum viuendi genus attinet,  
quod non pauci litterarum cultores ample-  
tuntur, ab illo per totum vitæ academicæ  
curriculum, sicut ante illud, constanter ani-  
mus eius, tam naturali bonitate, quam Dei  
timore, abhoruit. Ac licet tum quoque,  
& in illa urbe, nonnulli ad conuiciandum  
sanctioris vitæ studiosis viris, publica calumnia,  
& sua cupiditate improba, adducerentur:  
Herrnschmidius tamen, cum hos peccare  
grauiiter animaduerteret, in sua perstitit mo-  
destia; cauens sibi, ne aliquid mali de quoquam  
suspicaretur, nedum diceret. Joannem  
henricum Maium, qui inter præcipuos viros,  
passos propter dominum aduersa, fuit,  
magni æstimauit, scriptaque eius legit dili-  
genter. Cum a quodam homine epistolam  
aceperisset, qua plura de diuinis rebus, earum-  
que studio commemorabantur, rem tum  
minus usitatam, de ea tamen sici iudicat: li-  
teras etiam - magna cum deleßatione per-  
legi. Quamuis enim idem mihi ex illis ap-  
paruerit, quod olim iudicabam, nouitatem  
quandam sapere, hypocrisinque redolere:  
iam tamen ita animatus sum, ut in aliis elu-  
centes pietatis fructus admirer magis, quam  
de

"de industria incusem; præcipue, cum pauli-  
"nis regulis etiam hoc præceptum sit, ut  
"sermones nostri sint religione mutuaque co-  
"hortatione pleni. Inclinationis ad cœlestia  
"animi documentum supereft ex illo temporis  
tractu carmen, quod anno MDCXCVII.  
composit de morte Christi.

## §. V.

Discendenti ex altorsina academia plenus fidei  
vir, Rœtenbeccius, hoc dedit testimonium:  
"tralatitium est hodie, & liberali modo ac  
"more passim inoleuit, testimonia vitæ ac  
"studiorum dare petereque, quo boni a ma-  
"lis dignoscantur. Sed utinam pari omnes  
"affectu peterent, aut pari iudicio darent,  
"quorum causa hic agitur! Nam si uipiam,  
"hic certe circum spectione est opus, ne cum  
"pudore nostro & publico malo vulgatum  
"illud audire aliquando cogamur: fallimur,  
"& fallimus. Quam ipsam quoque ob cau-  
"sam in commendandis aliis parcus, quam  
"prodigus, esse malui, metuens scilicet, ne mox  
"incuterent aliena mihi peccata pudorem.  
"Nescio tamen, an lubentiori unquam ani-  
"mo testimonium cuiquam impertierim, &  
"ad scriptiōnem eius alacrius profiliērim,  
"quam cum operam hanc meam posceret  
"iure quodam suo. -- Toto hoc, quod  
"apud nos exegit, tempore, nihil prius, ni-  
"hil antiquius habuit, quam ut collectum  
"domi

„domi & in laudato gymnasio eruditionis  
„suae thesaurum multis accessionibus indies  
„apud nos auxerit. -- Quantum vero pru-  
„dens hic sapientiae cultor a pessimo multo-  
„rum more abhorreat, qui, neglectis ele-  
„gantioribus literis & solidioris philosophiae  
„studio, ad confusam quandam & superfici-  
„ariam eruditionem properant, crudaque de-  
„in, nec satis excocta studia sua in ecclesiam  
„sue rempublicam propellere amant, vel  
„inde constare satis potest, quod, cum in  
„modo laudato Athenæo ad fontes salutis tan-  
„ta & tam egregia in philosophia pariter ac  
„philologia fundamenta iecisset, ut, iis nixus,  
„ad sacram theologiam toto animo contendere  
„posset, philosophorum tamen scholas adeo  
„non fastidire voluerit, ut potius diligentis-  
„sime visitandas, immo nec ipsam medicinam  
„insalutatam relinquendam sibi duxerit; opti-  
„me scilicet persuasus, eruditionem solidam in-  
„ter unius facultatis carceres non esse com-  
„pingendam. Quo maiori etiam merito su-  
„premos philosophiae honores a facultate no-  
„stra anter trimestre fere est consecutus. Sed  
„haec inter minima laudum eius duxerim.  
„Illud maioris credo æstimandum, (apud me  
„sane potissimum) quod haec studia sua mori-  
„bus insuper ornare contendat; non igna-  
„rus, quam male sibi pariter & publico con-  
„fulant, qui artes scientiasque in vanam  
„ostentationem magis, quam in animi reme-

„dium addiscere volunt. Pietatem certe &  
„modestiam, quæ radix & altrix est virtutis  
„& omnis bona famæ, sic colit, ut ipse fibi  
„certamen indixisse videatur, dignusque mihi  
„visus fit, quem in arctissimam amicitiam ad-  
„mitterem.

## §. VI.

Visum est hoc anno, MDCIIC. parentibus eius, ipsum Halam mittere, quo antea ire gestiverat. Iter ergo ingreditur cum consobrino, cuius tenerorem ætatem ille custodiebat. Huc cum peruenissent, noster theologiae continuauit studium, consobrinus vero iura discere perrexit. Vix uno alteroue mense hic commoratus erat, cum familiariter consuetudine coniungeretur cum Antonio, qui locum ei primum ad mensam suam, & deinde etiam in domicilio suo fecit. Viri huius sermones, consilia monita, quantum Herrnschmidio attulerint utilitatem, coniuci facile potest. Insuper bibliotheca illius ei patuit; unde ex optimis libris, pro sua rerum theologicarum notitia prouectiori, excerpit multa, & recondidit quasi in usum futurum; quæ deinceps reddidit cum usura. Publicas prælectiones audiuit, quæ ipsi communi præceptorum consilio commendabantur: scilicet illas Breithauptii, ea docentis, quæ credere atque agere christianus homo debet, & illustrantis historiam ecclesiasticam;

cam; Antonii, qui veræ doctrinæ aduersantes errores refellit, ac sacras explicuit scripturas, librosque symbolicos; Franckii, sacram pertractantis codicem, ostendentisque, quomodo populus publicis sermonibus eruditus sit, & quam studiorum vitæque viam ingredi ac sequi constanter oporteat iuuenes, ecclesiæ ministerio sacratos. Quod hic ante omnia inculcari solet, ut ab animi ad Deum conuersione quisque faciat theologici studii initium, id ille non neglexit. Quanto ardore doctrinæ hucusque se dederat, tanto nunc, illa haud relicta, Christum quærebat, & complectebatur inuentum. Sanctior hæc flamma indies augebatur in scholis theologorum; in quibus etiam eruditio illius & sapientia magnum cepit incrementum. Conscriptis ea mente de discrimine naturæ & gratiæ dissertationem. Discipulos aliquot nactus est in pædagogio regio, quod in suburbio glauchensi Franckius condidit; quos ille græcum docuit sermonem. Haud ita multo post alii scholæ, videlicet puellarum nobilium, datus est præceptor. Vocatur hæc gynæceum, & eundem habet auctorem, quem pædagogium. Discipulas istas Herrnschmidius præcipue in christianæ religionis elementis instruebat ad omne pie-tatis officium. Quam fidelem circa illas præstiterit curam, vel ex eo intelligas, quod, deinceps quoque, cum in Suevia seruiret ec-

clesiæ, scripto excitauerit virgines has ad continuandum, quod cœperant, studium colendi domini ac sponsi cœlestis.

### §. VII.

Per Sueuiam, cuius oppidum est Bopfinga, patria eius, sicut per europæ regiones fere omnes, improbissimi de viris bonis, pietatis præceptoribus & cultoribus, sparsi erant rumores, qui multum remorabantur sanctioris disciplinæ propagationem. Huic malo in quibusdam locis mederi Herrnschmidius studuit. En particulam scriptæ ad patrem epistolæ: „ut, quid ex doctrinæ, hic loci hauriendis, perceperim, tibi patescat, & simul in earum considerationem ipse perducaris eo profundius, utile arbitror, ut a quodam eorum, quos adhuc ab assensu, (*viris, per calumniam vocatis*) pietatis præbendo, detineri scias nonnullis dubiis, impetres dubiorum talium confagationem. Certus sum, plurima dependere ab ignoratione veræ historiæ & præiudicatis opinionibus; quas fortassis mihi licet modeste diluere, & sic obstatcula, quæ remorantur boni quid, quantum in me est, remouere. - - Deus certe singulari prouidentia nostros professores huc excivit; quorum tamen nullus functionem suam auctoratus est. Nec tamen immediate vocati sunt, sed Deus ordinavit media. - - De

„ - - Scha-

„ Schadio forsan eadem tibi adhuc animo  
„hæret opinio, quam apud nos diuulgatam  
„fuisse memini; scilicet, quod negauerit absolu-  
„tionem ecclesiasticam esse diuini iuris, aut eius  
„usum nobis etiam esse utilem. Verum par-  
„tim ex - Antonii colloquiis, qui ipsi ami-  
„cissimus fuerat, partim ex scripto quodam,  
„quod post mortem suam edi Schadius vo-  
„luit, satis perdidici, quod eius sententia  
„non fuerit, institutionem confessionis & ab-  
„solutionis ecclesiasticæ esse plane nullam, aut  
„utramuis abolendam. Tantum vero sur-  
„repisse dixit abusum, ut usus legitimi fere  
„nihil superfit. Hinc ex animi doloribus  
„quandoque tales voces auditæ sunt, qua-  
„lis illa fuit: Beichtstuhl, Hellenpfuhl.”  
Scribens ad patrem, de suo statu non solum,  
& aliis rebus familiaribus, sermocinandum  
sibi esse putabat, sed utebatur hac occasione  
ad illum modeste cohortandum, ut cœtus  
sui maiores suscipiat curam, ac in primis  
erudiendæ in schola iuuentutis. Exempli gra-  
tia aliquid apponam: „in exercitiis cate-  
„cheticis utique multum situm est ponderis:  
„& omnino tibi & susceptori meo spiritus  
„sancti appreco gratiam, ut hac in re ve-  
„stris auditoribus recte consulatis. Animi  
„in doctrina & fide christiana optime insti-  
„tui possunt, cum adhuc sunt teneri: &  
„male actæ pueritiae damna sentit uniuersa  
„ecclesia nostra. Puto autem, externum

"apud vos ordinem facile posse accommo-  
 "dari maiori zelo; quoniam multa iam sunt  
 "bene instituta, nec alias subest deterior  
 "næuuus, quam quod proueetioris aetatis ho-  
 "mines catechisationibus non interesse solent.  
 "Extraordinarie autem multum commodi ha-  
 "bet sedula scholarum visitatio, scholarium  
 "examinatio & cohortatio; quam quidem,  
 "non video, quid impedit.

## §. IIX.

Cum patris famæ malos videret obtre-  
 etare, ipse erexit afflictum eius animum; ad-  
 hibito præceptorum suffragio. In quadam  
 eius epistola hæc legi: "perplacuit ipsi (*An-*  
 "tonio) concio tua funebris, & gratularut  
 "tibi de agnitis veritatibus. Censuram, quam  
 "es passus, profuisse tibi iudicat: & credit,  
 "tibi optime fore perspecta eiusmodi afflicti-  
 "onis commoda. Nec male actum arbitra-  
 "tur, quod paginae istæ, quæ de chiliasmo  
 "non nihil habebant, exterminatae fuerint:  
 "partim, ne calumniis pateret occasio, par-  
 "tim, ne aliquibus scopuli tales essent offen-  
 "diculo. Præstare enim, ut pietatis caufa  
 "se iungatur ab his exosis quæstionibus. Se  
 "autem, quæ scripseris, improbare non posse.  
 "Hortatur, ut strenue pergas in cœpto tra-  
 "mite. - Breithauptium & Franckium non-  
 "dum adiui; scio autem, similiter sensuros.  
 Iam audiamus quoque adhibentem perculso-

do:

domestica calamitate parenti consolationem;  
quæ licet longior sit, minime tamen lectu-  
erit iniucunda; "haud ægre percipio, quan-  
ta lucta opus sit ad naturæ impetus, in tali  
casu reprimendos; & quod nonnisi diuina  
ope, eaque insensibili, quanquam in fun-  
do cordis satis efficaciter operante, eiusmo-  
di affectuum tumultus sedari queant. Legi  
hesterna die in libello isto Buniano, quo  
recensem iter christiani hominis ad cœlos.  
Perplacuit inter alia istud simile, quo re-  
ferre voluit donum gratiæ, per Christum  
subinde suffundi piis animabus solitæ. Scri-  
bit: ostensum fuisse homini christiano pa-  
rierem, iuxta quem accensus arserit ignis. Ad-  
stisse autem aliquem, qui ex amphora,  
continuo labore, aquam ad ignem restin-  
gueundum profuderit. Neque tamen ignem  
decreuisse, sed magis auctum fuisse. Mi-  
rantem hoc spectaculum christianum dein-  
de ductum fuisse pone parietem, & ibi  
conspexisse Christum, qui per foramen,  
in pariete occulte factum, oleo flammam  
alere non desirerit. Sic nempe satanæ in-  
fultus sunt satis visibiles, & diuinum auxili-  
um latitat; & nihilominus latitans illa gra-  
tia hominem reddit, suis hostibus superio-  
rem. Valde ego probo consilium tuum,  
quo ex interiori cordis affectu istis literis  
tuis mecum loqui visum est. Et longissime  
absum ab ista temeritate, qua fieri posset

"forsan, ut seuerius te iudicarem, prout tu  
 "te dicis. Ego profecto semper summa tui  
 "veneratione ductus fui: &, cum per Dei mi-  
 "sericordiam in meliorem adhuc statum elu-  
 "etata sit anima mea, qui, quæso, futurum  
 "effet, ut ab ista veneratione quicquam re-  
 "mitterem. Quid? quod indies discam,  
 "tentationum horis non esse eundem sermo-  
 "nem, qui solet esse diebus tranquillis; &  
 "verba interdum durius sonare, quam animi  
 "fuerit fententia. Quod attinet ad ipsum -  
 "suspicio de morte eius est quidem probabi-  
 "lis; præsertim quando animus æger nihil  
 "non metuit. At mihi ne minimum qui-  
 "dem extorquere potuit assensus. Cuius rei  
 "satis bene fundatas causas habeo; quas au-  
 "tem nunc recensere nec possum, nec con-  
 "sultum reor. Fundamentum spei nostræ  
 "diuina debet esse misericordia & longanimi-  
 "tas, quæ per multas ambages querit homi-  
 "nes, nec ob unum alterumue facinus con-  
 "festim in æternas abiicit miserias. Credi-  
 "mus utique, Deum serio velle & cupere  
 "omnium hominum salutem, & per longa-  
 "nimitatem suam eos vocare ad pœnitentiam;  
 "cur igitur in hoc vel illo longanimitatem  
 "istam in principio statim deficere suspe-  
 "mur? Utique non absolute aut absque ratio-  
 "ne hanc nobis polliceri debemus - - (longa-  
 "nimitatem.) Enim vero, si res proximi agitur,  
 "nec propriæ securitatis subest excusatio, li-  
     "cer

"cet tum magnifice sperare de Christi bene-  
 "ficiis in peccatores etiam miserrimos, quam-  
 "diu patet hoc pœnitentiaæ theatrum, ampli-  
 "sime sese expandentis. Nondum deprehen-  
 "do in - - (N.) ea - - (*obdurati animi*)  
 "signa, quæ mihi eripere queant omnem  
 "spem conuersionis. Namque, uti ipse noui-  
 "sti, imprudens fere in laqueos diaboli inci-  
 "dit, nec conscientius satis erat impendentium  
 "exinde periculorum. Absit autem, ut pro-  
 "pterea credam, Deum promiscue agere in  
 "condonandis peccatis, & non adeo graui-  
 "ter irasci sceleribus, etiam ab inscio com-  
 "missis. Abhorret Deus ab omni iniquitate;  
 "& abominabilis ipsi est quiuis peccator.  
 "Ideoque necesse fuit, ut inter Deum & ho-  
 "mines interueniret mediator ille summus,  
 "qui supremam & iustissimam patris sui de-  
 "mulceret indignationem. Vi huius satisfa-  
 "ctionis, quam Christus præstirrit, idem ille  
 "sanctissimus Deus homines amat, cum ad-  
 "huc sunt ipsius hostes, eosque undique con-  
 "quirit, & ad filii sui beneficia attrahit, Joh.  
 "VI. 44. Absque qua tractione patris ne-  
 "mo unquam saluus fieret: quam etiam tra-  
 "ctionem, per verbum fieri solitam, præ-  
 "cedunt & plurimi alii gratiæ præuenientis  
 "actus. Itaque, quantum scimus de econo-  
 "mia salutis humanæ, tantum in solatia nō-  
 "stra vocare licet; cum non temere, sed  
 "per fiduciam, in merito Christi locatam,

„eo erigimus animos. Neque tamen negare  
„debemus, quod viae domini sint imperfora-  
„tabiles. Imponamus digitum labii nostris,  
„& toleremus impositum iugum ; quod,  
„quamvis onerosum sit carni, Christi verbo  
„nihilominus suave est & leue. Siquidem,  
„quod spectat ad dubium tuum de crucis talis  
„immersione, fateor certo sensu, me tibi non  
„posse repugnare. Piaculum esset, credere,  
„quod sanctissimus Deus irritet quasi aliquos  
„homines ad patranda mala, quo sic calamiti-  
„tas accidat iis, quos ipse probatos reddere  
„cupiat. Longissime recedat haec cogitatio,  
„Interim negari nequit, eiusmodi mala,  
„per propriam hominum prauorum libidi-  
„nem commissa, a Deo ita determinari, ut  
„huic vel illi fiant crux salutaris. Si aliter  
„sentiremus, certe prævaricaturi essemus in  
„generationes filiorum Dei omnes, quæ un-  
„quam extiterunt. Jacobus sane a filiis suis  
„multa pertulit. Ecquis neget, afflictiones  
„istas a Deo directas fuisse in salutem ipsius  
„animæ ? At etiam, quis audeat insiciari,  
„prauitatem illam, quæ tot calamitates  
„creavit Jacobo, non a Deo prouenisse,  
„sed a diabolo ? Attendamus saltem ad uni-  
„cam Josephi, per scelus venditi, historiam.  
„Idem reperimus in historia Dauidis, ab  
„Absolomo fugati : quod infortunium, Deus  
„ipse prædictis, a se iri excitatum ; cum tamen  
„scelera Absolomi ipse nec intenderit, nec  
„eo-

,,orum ullo modo autor fuerit. Iobo  
,,cum per prædones arabes auferrentur iu-  
,,menta sua; diabolo instigante, id factum  
,,esse, ipse textus sacer docet. Interuenie-  
,,runt autem multa prædonum peccata. Et  
,,tamen nemo negauerit, afflictionem Jobi  
,,& hanc, & reliquas, per satanam illatas,  
,,fuisse a Deo, & scopum habuisse optimum.  
,,Hæc nisi crederemus, quomodo tranquilla  
,,esse posset conscientia in quacunque crucis  
,,specie: cum ubique intercedat aut satanæ,  
,,aut mundi, siue malorum hominum, aut  
,,carnis malitia; & per hos ipsos, sua natu-  
,,ra pessimos, hostes procudantur ista tela,  
,,quaæ in pios coniiciuntur? Cæterum in eo  
,,consentio, quando patri alicui per filii fa-  
,,cinus aduersi quid accidit, conscientiæ va-  
,,rios inferri posse morsus, ob aliquam qua-  
,,si, quaæ subdit, culpam propriam neglectæ,  
,,aut non satis curatæ, disciplinæ, &c. Et  
,,ex hac cogitatione dolorem grauissimum  
,,oriri, facile video. Sed nimirum & Jaco-  
,,bi crux parem secum habebat calamitatem.  
,,Esto, subesse talem culpam; resarciri pot-  
,,est per pœnitentiam. Pœnitentiam amari-  
,,studinis multum sub suo complexu contine-  
,,re solere & debere, non ignotum. Tan-  
,,dem & illud scio, quod in eiusmodi casu,  
,,qui tibi obtigit, quando ad multas tristitiae  
,,rationes responsum est, maneat tamen mæ-  
,,sta pro - - (N.) salute temporali & æterna  
,,sol-

gare  
scrup-  
stris,  
od,  
erbo  
dem,  
talis  
non  
dere,  
quos  
ami-  
dere  
atio-  
ala,  
bidi-  
, ut  
liter  
s in  
un-  
suis  
ones  
osius  
ari,  
rates  
isse,  
uni-  
iam.  
, ab  
Deus  
men  
nec  
,,co-

„solicitudo; imo quod maneat, etiam si cen-  
 „ties de mœstitia, animo eiicienda conuictus  
 „sit intellectus. Hoc vero idem ipsum est,  
 „in quo ipsum, uti loquuntur, formale ve-  
 „ræ crucis quærendum est. Quippe in hac  
 „solicitudine operosa est dilectio erga deper-  
 „ditum, luctatur in discrimen adducta fi-  
 „des, acuuntur preces, augescit rerum præ-  
 „sentium & mundanarum contemptus, incre-  
 „menta sumit patientia, spes cum despera-  
 „tione certat, & vincit. &c. Quæ omnia  
 „sunt criteria veræ & salutaris crucis. Quod-  
 „si in anima ita possent obtutui intellectus  
 „exponi, quomodo hic in charta consignari  
 „possunt; amitteret crux formam suam.  
 „Sed, ut in principio dixi, naturæ ebullitio  
 „semper est sensibilior, quam gratiae con-  
 „seruaticis blandus calor. Et Deus T. O.  
 „M. in suis quoque operationibus non, nisi  
 „a posteriori, videri potest; h.e. post supe-  
 „ratos conflictus, in memoriam & perce-  
 „ptionem mentis demum subintrant recorda-  
 „tio & consideratio auxiliorum, a Deo præ-  
 „stitorum. Sic omnes psalmi, qui solatia  
 „aduersus afflictiones exhibent, sunt aut hu-  
 „ius generis, ut ad præterita recurrent tem-  
 „pora, & in mentem reuocent methodum  
 „diuinæ opis, alias obseruatam; aut ita sunt  
 „comparati, ut recenseant sub finem cala-  
 „mitatis cuiusdam, quomodo Deus in ista  
 „auertenda egerit. Ita ego sum persuasissi-  
 „mus

„mus de hac domini via: &, post hanc explicationem sententiæ meæ, arbitror, te haud difficulter mihi esse accessum, &c.

## §. IX.

Iussit eum pater prescribere modum, quo Franckius agat cum iis, qui ritu ecclesiastico, ante sacram cœnam, confessionem edant peccatorum. Respondit ille: aliquoties a me petiisti, ut tibi enarrarem modum, quo utitur - - Franckius in administranda absolutione. Interim varia mihi interuenierunt impedimenta, quæ volentem alioqui retraxerunt ab eiusmodi narratione. Hodie id praestare instituo; quia recens mihi est recordatio verborum, quæ adhibuit in me absoluendo. Cæmonia iustitiae hæ sunt. Hora ad primam pomeridianam media campanæ pulsu signum datur conueniendi in templum. Congreduntur peccata confessuri, & subsellia circa altare occupant. Canitur hymnus; sub cuius ultima stropha - - Franckius ex sacrario prodit, & altare concendit. Tum cohortationem orditur ad presentes, argumento sermonis undecunque desumpto. Hodie illuc redibat sensus: Christum esse pastorem illum bonum, qui vitam suam det pro ouibus. Huius memoriam perpetuo esse retinendam. Ad eam autem singulari affectu subinde redintegrandam peculiarem vim habere sacramentum eucharistia; quippe in cuius institutione Christus bis iusserrit

rit meminisse fui. Neque vero Christi mentem esse, ut homo cerebrina solummodo recordatione historiam istam recolat; sed ut tum ad remedium efficacissimum, peccati morbo applicandum, inseruat, quicquid ipse passus pronobis legatur & cogitetur. Ingens huic recordationi subesse solatum. Ast ad securos id non pertinere. Solatio enim non esse opus iis, qui de peccatis suis nunquam serio fuerint anxi, &c. Finitur sermo precatio, flexis genibus prouinciata ex animo: & iterum post benedictionem istam: dominus benedicat tibi: concinitur hymnus. Inde digrediuntur Franckius & - Freylingshausen, adiunctus eius, ad suam quisque sedem, iste in sacrario, hic pone altare. Confessuri utrinque accedunt ordine fortuito & promiscuo. Sacrarium intrant seorsim singuli, singuli quoque confessionem recitant, & absolutionem accipiunt. Atque ita uno egresso, introit aliis. Tum vero - Franckius cum quolibet agit pro iudicio suo, & pro consitentis viuendi ratione. Primis annis non semel factum est, ut ex ipso sacrario domum remiserit aliquos, denegata absolutione, cum conscientia non permetteret eos illa impetriri. &c. Gustato sermone diuino, cupiebat eo suos etiam fratres ac sororem innutrir. Sic ergo patris uadet: fratres meos & sororem meam optarim studiose eruditiri in sacris literis, ut memoria comprehendant partim psalmos, partim alia eximia dicta, dum viget

me.

memoria. Hoc solum olim proderit; reliqua  
ut plurimum discuntur in spem oblivionis.

§. X.

Autumno anni MDCXCIX. Dresdam  
profectus est, iussu præceptoris, Fran-  
ckii. Periculose ægrotabat militum præfe-  
ctus, qui, nullo mundum numine regi cre-  
dens, vitam traduxerat turpiter. Cum vero  
suum animadvertisset discrimen, cœpit re-  
fipiscere. Id Franckio nunciauit G. &  
Petiit, ut mittat aliquem, cuius colloquio  
magis posset excitari. Tum ille, ut dixi,  
Herrnschmidium ablegauit; qui non solum  
ægro viro se pium ac prudentem præstithit  
monitorem, sed confirmauit quoque matro-  
nam illam: cuius proinde litteris valde lau-  
datus est.

§. XI.

Iam publici muneric tempus imminebat  
Herrnschinidio, cum ipse id ignoraret, li-  
ber ab illa cura, qua ætatis huius iuuenes for-  
tunarum suarum querunt sedem. Sub finem  
ætatis iubebatur cum cognato Argentoratum  
adire, & ibi continuare studiorum cursum.  
Non satis Halæ valebat uterque; & præterea  
hic cum Gallis versandi cupidus erat, linguam  
eorum discendi gratia. Hæ consili me-  
morantur causæ. Id cum Franckius intelli-  
geret, arcessito Herrnschmidio dixit: consi-  
lium

lum sibi esse, eum sibi adiungere socium in procurandis professionis theologicæ & aliis negotiis, sicut in ecclesiastico munere secum sociauerit Freylinghusium: eo discrimine, ut, quam hic publice, eandem ipse priuatim, sine titulo, præstet operam. Se a pluribus annis labori, quem Christi amor poscat, dedisse torum, & incepta sua Deum ex gratia optime secundasse. Ad exterios etiam sibi aditum patefactum, qui se inuisant, aut literarum commercio utantur. Isti labori, cuius pars non minima administratio glauchenium institutorum, se breui succubiturum, nisi fidos homines ad manum habeat. Se igitur ipsum in domum suam recepturum; laborem non impositum iri alium, quam ex quo ipse etiam proficere possit: hoc pacto eum peruenturum ad experientiam multarum rerum, quæ ipsi olim in suo munere allaturæ sint utilitatem.

### §. XII.

Nondum annus abierat, post huius muneris ingressum, cum in patriam euocaretur. Rumor falsus de morte eius ad Haackium, ecclesiasten bopfingensem, iniqua conflantem valetudine, perlatus, effecit primo, ut illum pœniteret non declarati Herrnschmidio consilii de ipso sibi adiungendo; mox ut illud patri eius, magistratui & populo aperiret. Dicebat: se in vicinia quidem facile in-

inventurum plures studiosos juvenes, qui am-  
babus manibus oblatam spartam accepturi  
sint : sed illos nec doctrina, nec vita sancti-  
tate recte instructos ; quales tamen quærat,  
ut pote aptos amplificandæ Dei gloriae, & ec-  
clesiae docendæ. Dotes autem illas in Herrn-  
schmidio reperiri. Haackii petitioni protinus  
annuit senatus, iussitque, re populo cupide  
approbata, Herrnschmidii sententiam de hac  
re explorare. Itaque pater, illius nomine, ad  
filium scripsit, &c, inter alias rationes acceptan-  
di muneras, hanc protulit in medium : ibi  
& in vicinia ab ipso multum boni effectum  
iri. Neminem ei restitutum ; quia ipsi non  
male opinentur de Hala & Glaucha, quin  
eos (*halenses doctores*) studeant imitari. Fi-  
lius, sub precibus, coram domino, confide-  
ratum consilium totum ad ordinem theo-  
logicum detulit, afferens simul argumenta  
in utramque partem. Adiicio aliquid  
ex epistola ejus ad decanum illius ordi-  
nis, Antonium, die IIX. decembris per-  
scripta: se nullius sibi consciū esse dubitationis  
de suscipiendo ecclesiastico officio, & specia-  
tim hoc, quod jam offeratur. Nam licet sibi  
subinde scrupulus injiciatur, eum tamen sta-  
tim evelli. Quod animum præcipue moueat,  
amorem esse in parentes, patriam, cunctosque  
regionis istius incolas. Quemadmodum eu-  
piat cœptum in illis bonum opus suo ministe-

C

rio

rio & exemplo amplificare ; ita se misereri ciuum : simpliciores retinere vana sua studia, a majoribus accepta ; ecclesiæ ministros illius tractus partim malos esse, partim exemplum expectare. Eodem die Breithauptius & Antonius, commoti maxime Haackii impensissimi precibus, consenserunt, ut his Herrnschmidius obsequatur : Franckius autem adhuc secum luetabatur, usque ad diem posterum, quo illi indicabat : se noctem cum solicitude quadam translegisse ; tandem animum a Deo tranquillatum recordatione discedentis olim quoque tantisper Antonii. Eodem modo fieri posse, ut ipse etiam, administrato per aliquot annos ministerio ecclesiastico, a Deo sibi reddatur. Consensum theologorum ille die decembbris octavo bopfingenibus nunciavit ; qui die vigefimo literas publicas conscriperunt, quibus venire ad ecclesiam pascendam iubebatur. Haackius in gaudio ad patrem illius scribebat : probasse hoc ipso filium, se non suæ, sed Christi rei studere ; cum, posthabita splendida dignitate, quam academia polliceatur, obsequutus esset voci cœlesti : ibis, quo te misero : quam B. vir, ob veritatem, in patria & alibi, in primis A. a ministris ecclesiæ vexatus, & crimine infamatus hæreos, his vertis exposuerit : fac, te doctissimum esse, atque alterum longe supergredi eruditioe ; ne minimum quidem ministerium ideo

ideo detrecta, si homines ex lege officii id tibi volunt demandare. Interim ille aliquan- diu retardebatur, nec tam cito, quam postulabatur, poterat Hala discedere. Quare Haackius, cui per valetudinem non licebat munere perfungi, vehementer questus est de mora. Extant manu eius tum scripta verba, quæ caussam produnt, cur alios facri ministerii candidatos tantopere aversatus sit. Dicit: prorsus illos ita animatos, ut, tanquam mortui, mortuos sint sepulturi; quæ formula loquendi adhibita sit in Franckii, viri divini, Nicodemo, libello, qui sibi auro carior, & quo ille de tota ecclesia evangelica, in primis de ejus doctoribus, bene meritus sit. Februarii die quarto iter ingrediebatur, fusis cum Franckio precibus, in quibus iste, quod supra narravimus, coram Domino repetiit, & tam fidenter expetiit reddendum fibi aliquando Hernschmidum, ut hic testetur, se mirifice ejus dictis commotum, & nunquam credidisse, se diu Bopfingæ mansurum. (\*)

## §. XIII.

(\*) Bey dieser gelegenheit erinnere ich mich, wie sonst gar oft, dass, als mich der Herr Prof. Francke, bey meiner abreise, mit einem gebet dimittiret, er eben die oben gesetzte gedancken, mit beson-

## §. Xlll.

In vicina quadam academia diebus nonnullis transactis, iter prosequebatur. Sed ex primo diversorio æger eo rediit, & mansit ultra mensis sequuti dimidium. Non corpusolum mobo conficitatum, sed animus quoque multum perpessus est; quod apparet ex cantico, tum composito: faciet bonus fidelisque Deus. (\*) Reconvalescens adventu amici cuiusdam, Jœstelii, non parum recreabatur, & tractatum scribebat, ni fallor, de statu ordinis theologici halensis inscriptum. Propositionem scribentis fuit, refutare incredibilia mendacia, passim disseminata, & a malevolis admissa pro veritate. Cum professor quidam in colloquio mentionem fecisset laudabilis

besonderm nachdruck ausgesprochen, und zwar mit zeichen einer gewissen innerlichen versicherung. Welches dazumal, und hernach, so oft ich daran gedacht, eine gantz eigene impression in meinem hertzen gemacht; so dass ich nie geglaubet, in Bopfingen zu bleiben, sondern vielmehr gedacht, und nicht selten gesagt: ich wurde nach etwan 10 Jahren anders wohin kommen.

(\*) Er wird es thun der fromme treue Gott, in Freylinghaus, gesangbuch. P. I. pag. 617.

bilis principis Saxoniæ, Ernesti Pii, Herrn-  
schmidio hortandus videbatur Franckius, ut a  
gothanis amicis materiam scribendæ vitæ il-  
lus colligendam & ordinandam curet, addi-  
ta ratione: *esset exemplum maxime convin-  
cens nostris principibus: quia erat & bo-  
mus christianus, & bonus princeps, prudens  
& divers &c.* Hic professorem, qui the-  
ologiam docuit, ita se gerere vidit, ut ma-  
gnum inde coperit dolorem. Tractans argu-  
mentum de hereticis angelicis, triplex ge-  
nus eorum commemoravit: pontificios, qui  
adorent angelos; iudeos, idem factitan-  
tes; & pietistas: idque tam ludibrioſe, ut audi-  
torum coetus indecentem ediderit risum, quem  
ille studioſe captauerit. Memorat ille porro:  
virum istum promisſe, se emendationi ſui,  
operam daturum; ſed, cum ſe iam firmiter tene-  
re professionem existimet, nihil eum praefla-  
re. Huic demandatum fuſſe munus ſolennes  
habendi conciones, quibus paenitentia homi-  
num excitetur; quas tam coacte recitare  
dictus fit, ut plus deſtruixerit, quam effecerit.  
Alium etiam doctorem, a cuius latere magna ca-  
terua theologiae studiosorum haſerit, non fo-  
lum ridicula, ſed obſcena quoque in medium  
adferre ſolitum eſſe. Quare mirum non eſſe,  
tam pudenda patratiſ ſtudioſos, quæ ipſe in  
aede ſacra illis a professore audiuerit exprobrari;  
exempli gratia, quosdam in eam turpitudi-

nem venisse, ut scorta, vestitu virili induata, secum ad sacram duxerint cenan. Recuperata ualetudine, die uigesimo martii, perrexit, atque trigesimo Bop singam aduenit; cursu itineris per norimbergam directo. Inter norimbergenses inuenit nonnullos, ceteroquin bonæ mentis cultu insignes, quorum haud rectus de iustificatione & uitæ christianæ perfectione sensus fuerat, sed is, quem Reitzius in libro quodam prodidit. Improbabant vero Wirthii doctrinam, quæ cum euangelica conueniebat. Herrnschmidius unius alterique, ipsius de doctrinis istis requirenti sententiam, quod a puriore doctrina abeant, ostendit.

#### §. XIV.

Die dominica, quam iudica vocant, Bop singæ cœpit concionari, Aprilis die primo supra vigesimum Nordlingæ sermonem habuit, tentamenti gratia; trigesimo ritu solemní consecratus est, postquam in conuentu ecclesiæ ministrorum & scholarcharum eius de certis religionis capitibus, maxime recens controversis, sententia explorata esset, approbataque. Per decennium hoc functus est officio, religiose, auaritiæ quoque fugiens speciem. Cum vix munericis administrandi fecisset initium, morbo affectus est; quo profligato, expetebatur a comitis pontificii coniuge euangelica

gelica, ut ipfi, tanquam aulicus docto*r*, inser*uiat*. At ille tam cito traditam sibi prouinci*am* deserere noluit. Die iunii decimo sexto vitam cum morte commutauit Haackius: cui succ*essit* Herrnschmidii pater, huic autem ipse*n*. No*u*embris die vigesimo tertio in matrimonium duxit Sabinam Catharinam Schwartziam, virgi*nem* pudic*æ* & submiss*æ* mentis, ac a strepi*tu* liberioris vita*e* alienam. Auditores pluri*m*os, scribebat, esse circa terrena astutos, sed stupidos circa res cœlestes & diuin*as*. Senato*res* quidam cum cauponaria*e* rei dediti essent, magnum id extitit publica*e* emendationis impe*dimentum*. Quotannis quater celebrabantur nundina*e*, ad quas ruricolarum pontificiorum ex circumiacentibus pagis concurrebat turba; quorum saltationibus ciues quoque soliti erant se immiscere. Habebant divini verbi præco*n*es autoritatem quandam malos coercendi: poterant enim eos ad se accersere, ac prohibere a sacra cœna. Instante autumno, Bauari Ulmam fraude capere conabantur; unde bellum in vicinum Bopfing*æ* locum translatum fuit, & bopfin*gen*ses partis utriusque copiis tributarios fecit. Gallica*e* lingua*æ* gnarus noster hostilis exercitus supremos duces, litteris, senatus nomine submiss*æ* scriptis, ad parcendum ciuib*is*, grauissimo pressis tributo, commouere annitebatur. Afficti ciues, omissa sui emendatione, in desperationem inciderunt, & vix ad quandam

pœnitentia simulationem sunt adducti. Publicæ nonnullæ morum corruptelæ cessare tantisper visæ sunt. Facile se ciues a celebrandis bacchanalibus abduci patiebantur. Nuptiæ agitabantur sine profano concentu, choreaque. At non ita multo post magna morum depravatio militum impietate facta est, maxime in illis, apud quos Husari hospitabantur. Nam hi sensim a cultu Dei publico ita abstracti sunt, ut eum mox adsperrarentur. De copiis prussicis, quæ in cæsariorum exercitu erant, magna dysentericorum cohors Bop singæ relata est. His Herrnschmidius cum patre, tanquam medicus spiritualis, diligenter succurrerit. Belli calamitate paulisper mitigata, multi ciues, quemadmodum cœperant, publicum religiosis exercitiis negligere perrexerunt; quod ecclesiastis magnam facessebat molestiam, cum ipsis malo mederi studerent. Coniugia denuo lasciuis inaugurabantur saltationibus. Anno MDCCVII, die dominica, quam quinquagesimam vocant, pro concione dehortatus est auditores a bacchanalibus. Quo facto magistratus illa in perpetuum abroganda decrevit, prohibuitque ciuibus tempore illo tibicinum, chorocitharistarum, & reliquorum huius generis ludionum operam conducere. Non nullis bacchanalia postlimino admittentibus, ipse, denuo aduersus illa concionatus, permouit senatores, ut novo mandato ea proscriveant,

rent. Questus tamen est Herrnschmidius: nondum spirituali præditos esse indole, a quibus decreta huiusmodi profiscuntur; unde nullum inde firmum posse præsidium expectati. Nullum institutionis publicæ priuatæque genus est, quod noster non adhibuit. Diebus festis & dominicis pueri puellæque in æde sacra, catechetico modo, docebantur. Idem fecit in schola, quoties hanc inuisit. Cum videret, in his exercitationibus, ex multitudo fieri, ut puerorum magna pars minus attente audiat, gregem in certas distribuit cohortes, & quotidie unam earum priuatim in ædricula erudiuit. Quamuis leniter cum auditoribus ageret, eum tamen timebant. Nemo de re spirituali ipsum consuluit; quod ille partim ignorantia & fastidio, partim intemperituo pudori, tribuit. Questus est, paruum doctrinæ conspicu fructum. Id se adsecutum, ut omnes sciant, quid rectum, quidue prauum ducat: attamen ipsos antiquum tenere, sibi suum relinquentes iudicium, modumque vivendi. Interea se pergere in laborando sub auspiciis domini, tanquam cœcum & surdum, sperantem & credentem, non omnem perditum iri operam. Hoc temporis tractu, quo Bopfingæ degit, scriptit de baptismo, de tribus peccatis, non agnitis, aduersus ebrietatem, bacchanalia, saltandi vesaniam: atque refellit argumenta, iactata pro fœmina principe,

cipe, euangelicam deserente veritatem. Consilium quoque agitauit de propagando ad gloriosos purioris veritatis, veraque pietatis studio.

### §. XV.

Anno MDCCXII. Herrnschmidius novum publici laboris ingressus est curriculum, quadriennio circumscriptum. Idsteniensis princeps consulebat theologum halensem, Franckium, de ascensendo sacrorum antistite. Hic commendauit Herrnschmidium; qui initio delatum recusauit munus; deinde vero, urgente commendatore, rem iudicio halensem theologorum permisit. Horum sententia erat, quod sequi debeat, quo vocetur; cui ille paruit, licet animus varie fuerit solicitatus. Halam venit, certis rationibus motus, licentiæ quam dicunt, theologicæ accipit titulum, habetque de peccato acedia disputationem. Die XII. Julii a bopfingenfi magistratu dimissionem imperrauit, ac statim se contulit Idstenium. Sensit animi tranquillitatem sub delegati diuinitus officii conscientia.

### §. XVI.

Cum collegis se coniunxit arctissime, & concordissime vixit. Diei secundi vespera conuenere ad precandum. Inde secutus labor coniunctior duravit usque ad eius discessum.  
Coate-

Coalescabant per illum sacri senatus membra ; studente ipso tollere controversiam atque similitatem , quæ ecclesiastico ordini cum politico esse solet. In primis ad eius amicitiam adiunctus est præfectus sacræ ciuilisque curiæ , Gærtnerus, iustitiæ cultor , adiutorque pietatis. In constitutionibus ecclesiasticis, a comite, Ludouico, anno MDCXLI X. in lucem editis, inueniebat quædam curatius administrandi munera præsidia. Idcirco illas anno MDCCXIII. recudi curauit. Solennes ecclesiæ ministrorum conuentus instituebantur fructuosius. Eximum eius studium fuit in prohibendis ab ecclesia impiis & non idoneis doctribus. Medebatur durioris disciplinæ incommodis. Per ecclesiasticas sanctiones licebat verbi diuini præcoribus , a coena dominica indignos arcere , & in peccatores exercere censuram. Quemadmodum vero hanc nonnulli utiliter adhibuerunt, ita non defuere, qui ea ad priuatam vindictam abusi sunt. Sexto hebdomadis die ecclesiastæ quidam , ita dicti seniores, & prætor urbanus , in æde sacra conuenientes, illos explorabant, qui ad sacram cœnam erant accessuri. Scholas quoque emendauit Herrnschmidius : ac in idste- nienfi quotidie per horæ spatiū docuit, traetauitque theologiam historicam & mathefin ; die septimo horam illam tribuit alumnorum cohortationi, ductu Macarii homiliarum. Inter-

tererant huic pietatis exercitio collegæ eius, omnesque præceptores. Orphanotropheum eius consilio conditum est. Passim inuenie homines, qui triennio quadriennio amplius sacra abstinuerant cœna: inter quos & ecclesiæ doctores extiterunt jurgia. Alius post alium ad eum accessit, & ad frugem redire pollicitus est. Quocirca in sanctiore senatu ipsi illorum demandabatur cura, ut eos in ordinem redigeret, ac doctoribus ficeret obsequentes. Jussus quoque est ministros ecclesie monere de officio, quod cum pastorum munere ipsis erat impositum. Id cum facere aggrederetur, latus non defuit successus. Efecit, ut edictis profigarentur publicæ morum corruptelæ. Pertinet eo, quod principis decreto encæniorum titulo cohonestata saturalia interdicta sint. Erga segreges homines mansuete se gessit, eosque non vi, sed doctrina, studuit ad christianam societatem reducere.

### §. XVII.

Data principes adeundi facultate prudenter usus est. Eius hortatu collega, Sternius, in aula apud filias principes quotidianum verbi cœlestis priuatim tractandi exercitium habere coepit. Aderat quoque Herrnschmidius. Ex itinere reuersus princeps pater probauit illud, iussitque, ut hora continuaret meridi-

diana, quæ proxime præcedit prandium. Ipse quoque cum serenissima coniuge, totaque aulicorum cohorte piæ huic exercitationi interfuit. Æstiuo tempore princeps cum coniuge ac filiabus plurimum temporis spatium in secessu bibicensi, prope Wisbadum, transfigere solebat. Quapropter, ne illis hoc loco decesseret diuini verbi minister, consilio precibusque consecutus est, ut dictus Sternius cionator aulicus crearetur, ad absentibus subveniendum. Celfissimos auditores istos non minus sincere, quam modeste, commonefecit ante sacræ cœnæ usum, atque præparauit. Multi apud eum questi sunt de exactionibus publicis, & sumptuosa arcis bibicensis ædificatione, cui collecta summa impendebatur. Ille, ratus, non esse sui officii, in jus, factaque principis inquirere, quod animaduerterat, huic demisse tradidit ad diiudicandum, ut ipse suum explotaret opus, videretque, num recte, an secus faceret. Ita se muneris partes omnes admirare putabat, si non solum doceret ac solaretur, sed moneret etiam atque dehortaretur. Nihilominus magna in eum extitit principum gratia. Serenissimus patriæ pater libenter diligenterque publicis interfuit sacris. Filiae principes ad salutis curam traductæ sunt. Defendit princeps sanctitatis cum veritate conjunctionem, in hæresecos suspicionem adductam. Impiis non licuit in aula palam se iactare. Consilia-

D

filiarius quidam, publicæ vitiositatis reus, se quotidie vino adusto ingurgitans, in omni nequitia iniustitiaque pro pretio conniuens, ab officio remotus est.

## §. XIX.

Principis exemplum profuit aliis. Etsi Herrnschmidium ciues, antequam venit, valde formidauerant, nemo tamen, cum venisset, erga ipsum inhumanus fuit: quin nullius fere odium expertus est. Afflitti & iniuste oppressi ad ipsum confugerunt. In pontificiis & iudæis quoque amor in eum spectatus est; & illorum nonnulli ad veritatem euangelicam amplectendam adducti sunt. Hoc interuallo in lucem emisit præceptiones catecheticas, cantica sacra, scriptum de caupone pio. Anno MDCCXVI. tenaci afflitus est morbo: quo superato, contigit procurati hucusque officii finem, ac nouum, idemque ultimum, suscepit.

## §. XIX.

Rogatu A. H. Franckii idsteniensis princeps Halæ ægre reddidit Herrnschmidium: cui professio theologiae ordinaria, & vicaria institutorum glauchensium directio demandabatur. Quo munere quam religiose, prudenter, & fructuose funetus sit, ipso anno MDCCXXIII. quinto Februarii die demortuo,

pro-

programma docuit academicum, a ven. Langio scriptum, atque in exequiis eius publicatum. Addere quidem possem non pauca, si tempus iam permitteret conquerire, quae adhanc rem pertinent. Propositum ipsi fuit cōmonponere opus historicum, hoc insignitum titulo: *gesta Dei per reformationem Lutheri.* Existimavit, multa falso tribui naturalibus caussis, quæ ab occultis malorum spirituum operationibus oriuntur; idque historia ascetarum, Antonii & Hilarionis, illustrari. Liceat narrationem finire scriptiuncula, qua ego optimi huius theologi, carissimi praeceptoris mei, funus iui honestatum.

### §. XX.

*Solatium in desideratissimi doctoris iactura.*  
Funestæ nonæ februariæ, Spenero, quanto ecclesiæ lumini! olim supremæ, redierunt proxime luctuosiores, acerbo mergentes funere Spenerianæ indolis theologum, virum summe reverendum, amplissimum, excellentissimum, iohannem danielem Herrnschmidum, doctorem theologiae & professorem meritissimum. Ereptum academiae decus, ecclesiæ fidus subductum si lugent alii, & queruntur grauissime, alienis maxime ingemiscentes derimenti; mirum non est effundi in lacrymas, & dolore suo prope examinari, quorum res agitur præcipue

D 2

cipue

cipue, qui maiorem faciunt iacturam, nos, tam fidi doctoris discipulos omnes & singulos, qui ceteris inter alia argumentum sumus deplorandi casus, quo arctissima rupta sunt vincula, & dissociati coniunctissimi, coniuges, ad breue quidem tempus; vxore, matrona nobilissima, sabina catharina Schwartzia, altero statim die maritum insequuta, liberi & parentes, præceptor ac alumni. Nescimus, vnde incipere querentes, quoque definire debeamus? Fugint nos, quarum conscientia pareret solatum, diuinæ & propitiæ prouidentiæ rationes; quibus perniitti potuit, vt talis periret, vel nobis potius interciperetur, tam carus, tam vtilis, tam necessarius vir, ex medio curriculo, procul a legitimo vitæ termino. Supra cap- rum nostrum est in hæc inquirere, & mirabili- les Domini perspicere vias; supra ætatem, & huic conuenientem modestiam, iniussos ex- cutere humana de tali casu & fatis bonorum iudicia, laborare in proferendis melioribus, in ostendenda calamitatum & diuini amoris con- cordia, in natura mali explicanda, & tra- dendo mysterio crucis; quo ignorato, agimur in transuersum, & ad male de Deo, eiusque pro- uidentia, suspicandum. Liberati ab ista suspi- cione acquiescimus in voluntate summi numi- nis, reconciliati per filium patris, fauentis saluti nostræ, omnia facientis bene ac sapien- ter, quamuis bonitas eius & sapientia nondum plene

Plene in omnibus intelligatur. Hinc sumimus solatii initia, & spem mitigandi doloris: non fato, sed iussu patris, nostrum migravit caput. Porro conuenit, dum cæteri lugent, ratiocinantur, lamentantur, si nostrum ex sensu beati metimur officium, nos, discipulos, animum erigere demissum & oppressum, non pati illum stupescere sub luctu squalido; recognoscentes tempora præterita, & prospici entes in futurum, oculis a præsenti tempore, tam adficto, contra morem, tantisper auersis. Ut erit futuro tempore, sicut a longo fuit, & durauit mire; ex quo, si velimus, poterimus damna ablati doctoris resarcire: sic est in præ terito tempore, quantulumcunque hoc fuerit, quo tales habuimus doctorem, propter quod gratias agamus Deo, in hoc tribuenti, quæ nemo meritus erat; scilicet cum reliquis præ ceptoribus venerandis, eodem, quo defunctus, animatis spiritu, virum, qualem vix seculum tulit, viditue schola alia, non sibi viuentem, sed Christo, nobis, ecclesiæ, vacantem alum nis totum, sincero animo, & a suis commo ditatibus alieno; cuius princeps erat cura il los vindicare ab exitio, in quod ruimus cæci, vindicatos, & ad seria conuersos idoneos effi cere aliis seruandis. Caussam habebunt non prædicandi solum numinis, sed, quod insolens, gaudendi in summa hac tristitia, quotquot alta mente istius disciplinæ fructus reposuerunt,

&, quales facere studuit, tales sunt facti, ad omne recte factum bene comparati, instructi, armati, confirmati scientia & vsu veritatis, proferendae ad populum integre & cum successu. Hic effectus sancte pieque ab illo administrati muneris, post fata beati superstes manet: quem si retinere augereque cupimus, ut cupere debemus, audiamus, sequamurque apostolum, ostendentem, quo animo, quoque adparatu iusta conueniat doctori soluere, nempe respiciendo ad finem discessumque eius, & fidem imitando. Spectauimus nostrum sub finem vitae, iactatum mundano mari turbulenta-  
tissimo, per cunctas tempestates proiectum fidenter, adpellere in portum cœlestem: hu-  
mentem & cursum exemplo illius dirigamus,  
tanquam peregrini & absentes a patria, non  
obliti mortis incertum, ab omnibus decantatum,  
cogitatum a paucis! Inter haec nostri recor-  
demur fidem, qua prospere confecit iter tam  
periculosum, documentis spectatam luculen-  
tissimis, in toto vita actu: reminiscemur ani-  
mum illius rectum in fide, Deoque plene ad-  
dictum, radicatum in Christo, submissæ de se  
sentientem in magno fidei & virtutis progressu,  
in dignitatum honore, in copiosissimo eximiæ  
variæque eruditionis adparatu, quem totum  
ad Christi cognitionem referebat, præ hac  
illam putans pro nihilo. Recogitemus reli-  
quum fidei opus, exercitium, laborem in exe-  
quendis

quendis muneris sanctissimi officiis omnibus,  
in docendo, hortando, monendo, consulen-  
do ; sub patientia singulari, in maximis diffi-  
culturibus & incommodis , promte toleratis,  
fortunæque antepositis laetiori ; in vitæ inte-  
gritate, exaggerata veris virtutibus, & ad finem  
retenta. Talem fidei suæ imaginem in nostra  
conscientia reliquit dilectissimus doct̄or : vt  
nam ista hic custodiretur, nostræque ad eam  
conformarentur mentes ! Efficiat id diuinus  
spiritus in quois tanti viri auditore ! Per quos  
hoc facit, ecclesiæque nos parat, incolumes  
seruet viros venerandos, theologiae in hac  
academia professores, præceptores nostros fi-  
delissimos, & omni obsequio ac amore pro-  
sequendos ! Merorem, quo adficiuntur, mi-  
nuat, absterget, repræsentato solidi solatii ar-  
gumento, iucunda triginta annorum experi-  
entia, cognitoque a tam longo tempore supre-  
mi domini amore, propitia prouidentia, auxi-  
lio multiplici & mirando, quo stant in hunc  
diem ! Tribuat porro, sicut dudum cœpit, la-  
bori ipsorum successum, quem vno animo,  
studioque quærunt impensissimo, quo totum  
conuertunt muneris conatum, vt euangelicæ  
doctrinæ puritas & obsequium longe lateque  
propagetur, vt depellatur ab ecclesia euange-  
lica otiosæ fidei dedecus, ab ipsis purioris re-  
ligionis instauratoribus tantopere damnatum !  
Prouchat singulos ad summum senectutis gra-  
dum,

dum, nec eos olim subtrahat nobis, quin plures relinquant sui similes, pares colendæ vinex dominicæ, & prohibendis ab illa corruptelis! Quod ut fiat, optant cum boni omnes, tum maxime tam fidorum præceptorum amantes alumni, & in his I. H. C. P. p. MDCCXXIII.  
Februar. XIV. die, quo beato publice est parentatum.



*APPENDIX*

APPENDIX.

Jo. Arndius in praefatione ad theologiam  
germanicam:


Natum est satis superque, intra sepeuaginta  
annorum spatum permultos libros de re-  
ligione christiana, doctrinam fideique a diuersa-  
rum religionum sectatoribus fuisse conscriptos,  
ita ut ad illos omnes exauriendos non suffici-  
at unius hominis vita. Quid vero ad christia-  
nae vitæ culturam veramque pénitentiam (quæ  
præ omnibus aliis & indeſinenter inculcanda  
eret & prædicanda,) utilitatis hinc redierit,  
testatur experientia: qua quidem non obscure  
colligere licet, eum in finem religionis dissensio-  
nes & controverſias tot iam annis agitatas, Sa-  
tanam de doctrina excitasse, ut veram hinc  
pénitentiam vitamque christianam, in quo veri  
christianismi cardo versatur, præpediret, im-  
mo plane deleret, ut quidem abunde videre est.  
Si paullo penitus mundum quis inspexerit, vi-  
derit facile, indies in peius illum ruere, quum  
controverſandi & altercandi pruritu laborantes  
homines scribendo ac rescribendo unice sint  
intenti. Sub ipsis christianismi initiis pénitentia  
& sancta christianaque vita magis urgebatur,  
ut ipsa Christi doctrina in vitam transferretur.  
Et ita quidem veros christianos decet. Hinc  
vero satis superque apparet, quod eo ipso, quo  
doctrinam ac christianam religionem conserua-  
re stir-

re student homines, magis magisque illam amittant ; siquidem veram pœnitentiam vitamque christianam ita prorsus extingui patiuntur, ut, quid sit vera pœnitentia, quidue noua vita, que ipsa excellentissima vita Christi est, vix constet. Quum autem pura doctrina non habet, immo habitare nequeat in hominibus, pœnitentia vacuis, quippe qui Christo, æternæ illi veritati ac luci, vita sua resistunt; hinc vero sat crassus error est, puram doctrinam, posthabita vita christiana, scribendo saltem ac disputando velle conseruare, inque eo tam operoso conatu desiderare. Hoc nihil aliud est, quam verbis pro doctrina pugnare, vita vero & re eandem impugnare. Vnum quidem faciendum erat, alterum vero neutram omnitemendum ; ne altera manu reapsest destruamus iterum, quod altera ædificasse videatur. --- Cui itaque hono, quod tantum labore in Christi doctrina defendenda insumamus, vitam autem eius susque deque habeamus ? Dominus enim non modo doctrinam, sed & vitam suam nobis descendam precepit. Discite a me, inquit ipse, quod mitis sim & humilis corde, Mattb. XI, 30. Quasi diceret : duas has virtutes, ut ipsa ritæ christianæ principia, primum addiscite, & vt basin illas ponite, cui dein tota vita vestra superstruatur. Si tanto ardore vita Christi hominibus inculcata fuisset, quanto doctrinam eius propugnari videmus ; procul dubio meliori loco forent res humanae in omnibus huius vita statibus.

Ad 263

S





B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8

VITÆ  
JOANNIS DANIELIS  
HERNSCHMIDII  
THEOLOGI HALENSIS

ILLUSTRAMENTA

COLLEGIT AC EDIDIT  
IO. HENR. CALLENBERG

PHIL. PROF. PUBL.

Halæ in typographia instituti iudaici  
cic 15 cc xxxv.